

Q. N. 374, 13.

F. C. S.

X 1903773

449

de



FRANCISCO I.  
GALL. R. PACTA  
CUM CAROLO V. IMP. OB  
REDIMENDAM CAPTI-  
VITATEM INITA AD-  
SPERNANTE,


Inclytæ Facultatis Philos. consensu  
PRO LOCO

in eadem rite aliquando obtinendo  
primum disputabit  
*in alma Lipsiensi*

M. JOH. CHRISTIANUS Schelle/  
Ileburgo-Misnicus. S. S. Theol. Cult.

*ad diem 25. Sept. 1697.*

L I P S I Æ,  
Typis ANDREÆ ZEIDLERI.



H. Pöfman Q 24.





PATRIBUS.

REIP. LIPSIENSIS. FLORENTISSIMAE.  
OPTIMIS. MAXIMIS.

VIRIS.

MAGNIFICA. AUTHORITY. NO-  
BILISSIMA. PROSAPIA. AMPLISSIMA. DI-  
GNITATE. CONSULTISSIMA. PRUDEN-  
TIA. ILLUSTRIBUS.

DOMINIS.

CONSULIBUS.

AC.

RELIQUIS. TOTIUS.

ORDINIS. SENATORII.  
MEMBRIS.

DOMINIS. PATRONIS. ET.  
EVERGETIS. SUI. OMNI. OBSERVAN-  
TIA. DEVENERANDIS. HASCE. PLAGULAS. IN-  
SIGNUM. DEBITAE. SVAE. OBSERVANTIAE.  
UT. ET. PATRIS. SUI. PRO. MAXIMIS. IN.  
IPSUM. COLLATIS. BENEFICIIS.


ANIMI. GRATI. TESSERAM.

OFFERT.

FILIUS. PRO. PATRE.

AUTHOR.





## SUMMARIUM DISPUTATIONIS.

§. 1. 2. *foedam Gallicorum scriptorum adulandi libidinem taxat.* §. 3. *inter Carolum Imp. & Franciscum R. G. privatum odium.* §. 4. *ambo coronam Imperatoriam affectant.* §. 5. *Gallus repulsam passus Carolo succenset.* §. 6. *inde bellum in Belgio & Hispania.* §. 7. *gravius in Italia.* §. 8. *Franciscus ad Ticicum capitur.* §. 9. *Madridi captivus tenetur.* §. 10. *pax inter ipsum & Carolum fit Madridi.* §. 11. *de fide Galli dubitat.* §. 12. *libertati Gallus restituitur.* §. 13. *paeta inita respuit.* §. 14. *Contra Casarem bellum movet.* §. 15. *Cameraci pax concluditur.* §. 16. *Galli leves ac fidei parum memores.* §. 17. *Franciscus liber factus à paetis Madritianis resilit.* §. 18. *cur?* §. 19. *partim ob rationes generales, partim specialem.* §. 20. (a) *vi ac metu promissa extorta nulla esse. Examinatur hoc axioma in thesi* §. 21. *in hypothesi, Gallum vim ac metum allegare non potuisse.* §. 22. (b) *captivum se adhuc pramonuisse Casarem, servatum ipsi non iri que vellet, utut promitterentur.* §. 23. (c) *arcem Madrit exstruit in Gallia & ad hanc restringit paeta Madritiana.* §. 24. (d) *Carolus fidem datam fregisse.* §. 25. *in specie se excusat: absque consensu Parlamenti se nihil posse abalienare.* §. 26. *refutatur: nam auctoritas Parlamenti tunc levis.* §. 27. *salvâ etiam hâc casus certi excipiendi.* §. 28. *v. g. necessitas.* §. 29. *Consequi consensum Parlamenti Rex potuisset fortassis; quin consecutus eundem videtur.* §. 30. *Epilogus.*





Irari certè subit fœdam Gallicorum scripto-  
rum adulandi libidinem, quâ usque adeò  
in Regem suum feruntur, ut peculiariter  
planè, an immoderatè, tritum illud: *Nata-  
lis soli amore quemq; duci, sibi vindicare vi-  
deantur.* Qui vel perfunctoriè saltem scri-  
pta ipsorum perspexerit, quin non nisi rubrum sæpè legerit,  
advertat, eò imprudentiæ Nationem processisse, ut in legem  
fermè ἀπόσυνα peneseam abierit: aliis Monarchæ Gallici  
*nominis excellentiam* arroganter ostentantibus, aliis *dignitatis  
præeminentiam* ardentè crepantibus, aliis *jurium* aut in se cer-  
tè nullorum, aut dudum tamen extinctorum *amplitudinem*  
vigoremq; subdolè propinantibus, aliis denique *facta Numi-  
nis* sui, qualia ea demum fuerint, impudenter defendentibus.  
Et quid absurdus, quam quod *de la Croix* Imperatorio ti-  
tulo Regem Gallum insignire conatur? (a) Non dicam, ut  
insignem Blondellus prodat ignorantiam statuendo, Christia-  
nissimum Regem rectè Cæsaris Gallorum titulum gerere,  
æque ac Rom. Imperator Germanorum Cæsar audiat. (b)  
(Neque tamen nostri Imperatoris congrua ista est compella-  
tio.) Quam malam causam Auberius agat, quando cum  
proëdriam Galli præ Imperatore R. tum ejusdem præten-  
siones in Imperium R. evincere nititur, (c) id ex Nicol. Martini,  
(d) ut & Henr. Kippingio, (e) refutatoribus Auberii discere  
licet. (f)

(a) vid. act. Erudit. Lips. anno 1693. mens. Martio p. 117. ubi excer-  
pta verba legas: Quatuor in orbe Imperatores Regibus dignita-  
te sunt superiores: (1) Francus (2) Germanus (3) Turca (4)  
Moscovita.

(b) in Geneal. Gall.

(c) Auberius advocatus Parisiens. scripsit tractatum de la præeminen-  
ce des Roys de France & de leur preseance sur l' Empereur &  
le Roy d' Espagne.

(d) in tractatu: Libertas aquilæ triumphans. Francf. 1668.

(e) in notis ac animadversionibus in axiomata politica Gallicana. Brem.  
1668.

(f) conf.



(f) conf. & Præcellentissimi Dn. M. Hieron. Dizelii, Præceptoris ac Promotoris mei suspiciendi annotata in Croix ab ipso anno 1695. editum.

§. 2.

Nullus ergo Eorum, neque Croix, neque Blondellus, neque Auberius abominandæ adulationis notam subterfugere poterit; utque à multis idipsum jamjam evictum habemus, ita & quartam assentatorum Gallicorum classem supra recensitam facile sistere dabitur, talibus exemplis non deficientibus, quæ temerarium Gallicæ gentis pruritus iniquè à Regibus suis patrata approbandi manifestent. Quod nunc Occidens deplorat, bellum, affatim eorum subministrat. Sed & superioris seculi historiæ paria jam dum continent. Plurimum instar esse poterit historia in proximè elapsi seculi serie decantatissima: puta, ubi Franciscus I. Gall. R. à Carolo V. Imp. in Italia captus, postmodum in Hispaniam deductus, pacta certa cum victore Cæsare ob redimendam captivitatem iniit, quæ tamen libertati postea restitutus adspernari non dubitavit; Id quod abs historicis Gallis speciosissimis coloribus adornatur. Operæ pretium qualecunque me forte facturum credidi, indolem facti hujus inquirendò, qua cognita cuilibet turpe nationis dictæ in hoc etiam passu Regi abbladiendi cacoëthes detegetur. Quod dum facio, Deus cœptis adsit clementissimè, B. L. autem omnia æqui bonique, rogo, consulat.

§. 3.

Satis appositè Plutarchus: (a) *Quemadmodum incendium non semper à sacris & publicis exoritur locis, sed plerumque neglecta in domo aliqua lucernâ; aut inflammata quisquilia ingentem ediderunt ignem, ac publicam perniciem: Sic non semper seditionem contentiones de publicis negotiis, excitant, sed sepe numero ex rebus & offensis privatis in publicum propagatæ lites totam exagitant civitatem.* Ist hæc quodammodo applices ad Principes duos potentissimos, quorum tremenda nomina in rubro dissertationis hujus comparent. Non parum conferebat



ferebat ad bella inter ipsos diu gesta atrocissima, privatum, illud odium Francisci in Carolum, ex affectata, nec tamen impetrata Imperatoria corona enatum.

(a) citat. à Camer. Hor. subciv. Cent. 3. c. 55.

§. 4.

Scilicet Maximilianô Imp. anno 1519. demortuô, & Carolus Hispaniæ Rex, & Franciscus Rex Galliæ thronum Imperatorium sibi parare non sine æmulatione studebant. (a) Uterque nil omittebat, quod patrocinium causæ præbere poterat. Nec levi Gallus spe lactabatur, (Leone P. in partes quoque suas pertractô) se id nunc consecuturum, quod sine successu à natione suâ hætenus quæsitum fuerat. Qua tamen spe mox excidit, cum obtinentibus iis, qui non extraneum, sed Germanum accersendum autumabant, Carolus Imperator clueret, cuius rerum gestarum gloria ex iudicio beati Bœcleri nec Carolo M. nec Ottoni M. cesserit.

(a) vid. Sleidan. Lib. 1. Thuan. L. 1.

§. 5.

Non mediocriter inde Gallo bilis movebatur, utut enim Gvicciardino celebrante (a) summâ modestia sub initium Carolum ipse competitorem tulerit, eventus tamen sufficienter docuit, similitudinem à duobus procis petitam, quâ Legati Hispanici remittebantur, (b) optimè quadrasse. Sicuti enim ex rivalibus ille, qui repulsam patitur, torvo oculo alterum se feliciorum intuetur, ita Francisco confestim molestum videbatur, post Carolum rivalem suum duci, ipsumque tanto in fastigio collocatum videre, ubi altioribus ejus, quos illud suum *Plus Ultra* fatis arguebat, spiritibus opportunus sese expandendi locus dabatur.

(a) Hist. sui temp. Lib. 13. pag. 283.

(b) Gvicciard. c. 1.

§. 6.

Brevi igitur conceptum hætenus odium in apertam flammam erumpere cernebatur. Gallus enim neglecto, quod ante annos aliquot cum Carolo pepigerat, fœdere, in Hispaniâ



niâ mox turbas excitabat, Navarræ Regnum invadendô, at-  
que occasione motuum intestinorum debellandô, quod ve-  
ro vix recuperatum, cedere iterùm opus habebat. Quare  
heic ex sententia rebus non gestis, haud prætermiffa proxi-  
ma via ad Carolum vexandum idonea. Obtulit se ea occa-  
sione rebellionis Comitis de Marcâ, Sedanensis, qui, post-  
quam à Cæsare defecerat, conjunctis cum Gallo, cujus cli-  
entelam subibat, viribus, in Belgio illi negotium facessit; sed  
tum quoque Cæsareanis Mars favere videbatur, S. Amand &  
Tarnacô subjugum missô.

§. 7.

Haftenus tamen præludia faltem belli fuerant, majo-  
rem ejus vim experta Italia. Galli invidente Carolô Medio-  
lanensem Ducatum tenebant, & Papæ oculos perstringebant  
iidem, Parmæ & Placentiæ Domini. Fœdus inde fit, inter  
Papam & Cæsarem de ejiciendis Italia vicinis istis invisissi-  
mis, obtendente Imperatore: in feudum justô tempore  
Franciscum non recepisse Mediolanensem Ducatum. &c. Sine  
morâ etiam Parma & Placentia, nec non Mediolanum capi-  
tur, Helvetiis ob non persoluta stipendia pugnam detrectan-  
tibus, ubi cladem Gallorum ingentem, non potuit non gra-  
vis jactura ejus, quicquid in Italiâ possederant, insequi An-  
no 1521.

§. 8.

Post 2. annos Franciscus Italiam iterùm petebat, nu-  
merosissimô stipatus exercitu, exoptato quoque successu Bur-  
boniô non obstante usque in Mediolanensem Ducatum pe-  
netrabat. Victoriosa sic eodem in Italiâ arma circumfe-  
rente, Veneti, Florentini, quin ipse Pontifex ab ipsô stare  
malunt. Ita meritò cum Homerô *ἄλλοπρόσαλλον* Martem  
dicas. Mox namque tota rerum facies, omnisque victo-  
riæ fructus subvertitur. Ticinum Galli obsident, felicem  
sibi expeditionis exitum polliciti, quippe exercitu suo ter nu-  
mero exsuperante copias, quas Carolus Imperator per Italiam  
college-



collegerat. Rex ipse piaculum credit, se heic subtrahere, vel ut majorem fortè personæ suæ gloriam ex sperata victoria conciliaret, vel Solimanni dicitur memor: *Victoriam per manus Regis non partam nullam esse.* (a) Nihilominus usque adeò in timorem dantur universi à Cæsareanis, ut intentatum prælium detrectare malint, donec demùm citra spem cum his, cervicibus ipsorum pressius jamjam inhærentibus, manus conferere coguntur. Ubi tamen mox res Gallicæ nutare cœperunt, quas quidem Rex, inuncto forte capiti Martem peculiariter fauturum ratus, restaurare vult, non potest; dum ipse etiam in prædam hostibus cedit, vivusque captus pro trophæo est, octo millibus suorum cæsis, reliquis turpiter se fugæ committentibus. Contigit anno 1525. d. 24. Februar. ipso natali Cæsaris, unde & ipse pro victoria isthac concessa solennes Deo gratias egit. (b) Francisco autem Petrus Turrellus, Mathematicus & Astrologus insignis cladem istam antea jamdudum prædixerat, (c) & Rex Poloniae 6. soles antea vidisse fertur, quos præsagium capturæ Francisci multi Meteorologorum crediderunt. (d) Puffieur etiam recenset segetes tum exustas gelu immodico, loca plurima de cælo tacta, & quidem ipsius Regis hospitium. (e)

(a) Schauplatz der Ottomannischen Pforte in Solimanno.

(b) Majol. dies Canicul. E. p. m. 646. a. 20.

(c) V Volf. Lect. memorab. T. 2. p. m. 228.

(d) Le Grand. hist. nat. part. 6. art. 11. p. 306.

(e) hist. Franciæ.

§. 9.

Isthæc cara avis pretioso ita labore capta, statim probè fuit observata. Primum quidem in Pisseonensem arcem deducta, postmodum autem ad stipulante Imperatore iis, qui absque lytro eandem manumittendam non putabant, in Hispaniam Madritum transvecta, ut tutius ibi asservaretur. De prædicatur summa Francisci patientia, & animus ejus per infaustum hunc casum nunquam fractus. (a) Sed tamen cum Carolus ipsum conspectu suo dignari nollet, priusquam de



de genuinis pacis conditionibus inter ipsos non convenerit, hæ vero duriores, quam par, Francisco viderentur, gravissimum in morbum incidit, quem ut Cæsar alloquio suo levaret, medici Hispanici authores fuere. Invisit captivum Carolus, ac comiter eum alloquitur, spe facta de libertate post sanitatem receptam recuperanda. Id tantum profecit, ut morbus post aliquot tempus dissiparetur. Sorore Regis interea adventante maximo zelo negotia pacis agitari. Dum autem ob Burgundiæ Ducatum conveniri non potest, Cæsare citra istius restitutionem nullas pacis leges admittente, Gallo contra nisi extrema necessitate cogeretur, non consentiente, infectis rebus Alenconia in Galliam revertitur, cum mandatis Regis Fratris: ut mater, Consiliumque Parisiense, Regni, non Regis captivi saluti prospiceret. Senatus Parisiensis Princeps tamen, Ambroniique ac Tarbæ Episcopi remanebant, per quos de causa Regis cum Cæsare semper agebatur. Tandem Franciscus in præscriptos sibi tractatus condescendit, ne spem libertatis recipiendæ penitus amitteret.

(a) refert Sleidanus de 4. Summ. Imp. ad hunc annum: Franciscum in Musæo, quo captivus detinebatur, viso Cæsaris Symbolo in pariete descripto *plus ultra* subscripsisse: *Hodie mihi, cras Tibi.* Quibus Carolus addidit. *Homo sum, & nil humani à me alienum puto.*

§. 10.

Anno 1526. igitur d. 14. Febr. inter Carolum & Franciscum pax conficiebatur, capita quam plurima Cæsari maximè proficua continens, quæ ut prolixa sunt, in Gvicciardino legi poterunt. (a) (infra tamen potissima recensebimus.) Ea omnia juramento confirmare Rex debebat, simul promittendo, se ubi quacunque etiam ex causa conventis his stare non liceret, in carcerem rediturum, filiosque 2. obsides interim daturum. Usque dum ita dies dimissioni Regis dicata compareret, principes hi duo ita se mutuò gerebant, ut singularis animorum conjunctio eluceret; Rex tamen cum cura adhuc custodiebatur, simulque affinis Cæsaris & captivus habebatur.

(a) Lib. 16. p. 608.

B

§. II. Enim-



Enimvero nasutiores facile subolebant, vix ac ne vix quidem Franciscum pacta illa impleturum, unde & Cancellarius Gattinara istis subscribere renuebat, dicens, Carolum locò lucri seu commodi expectati non nisi immortale Gallorum odium in se concitaturum, totiusque orbis exprobrationem avaritiæ ipsius turpissimæ. Ast propria manu Cæsaris confirmatis pacis conditionibus, Reginae Matris etiam approbatione allata, Rex die præstituta sui iterum juris evadit.

Comitatur ipsum Lanojus, Pro-Rex ad eum usque locum, ubi obsides duo Regis filii cum patre commutandi erant. Quo facto hic equo velocissimo ad id parato in Galliam vehitur, incredibili suorum gaudio.

Tumque confestim de mente Galli constare cœpit, quam in fidem datam adhuc propendeat. Cum enim Papæ & Venetorum Legati eum convenirent, statim ipsis Cæsaris in se captivum crudelitatem exponit, simulque profitetur, omnem suam nunc curam eo ferri, ut in Cæsarem involare valeat: sique Papa ac Veneti contra hunc arma sumere in animo haberent, strenuam se ipsis operam præstiturum. Obten dit, metu ac vi coactum se isthæc omnia sponondisse, se Cæsarem præmonuisse, ne, quæ jam iniqua efflagitaret, servatum iri crederet. Carolum fidei suæ datæ haud satisfacisse. Alias pro se allegatas ab ipso causas nunc taceo, in sequentibus enumerandas.

Inter Papam dehinc (qui Franciscum Apostolica auctoritate à juramento solverat,) inter Venetos, atque Gallum fœdus initum innotescit, (Ligam sanctam vocabant) ad quod quidem Carolus Cæsar etiam invitabatur, sed sub turpissimis conditionibus, unde nil aliud huic faciendum visum, quam ut bonitate causæ fretus tanta eadem constantia rejiceret,



ceret, quanta superbia ac astutia sibi proponebantur. Infau-  
stus autem confœderatorum horum contra Carolum secutus  
exitus. Roma ab hoc vi armisque superata, ipseque Papa  
nequitiam suam in carcere luit, Galli autem cœlitus quasi de-  
missa strage percussi, peste exercitus maxima pars consumpta,  
reliqui cum opprobrio Italia exire iussi.

§. 15.

Pausanias in Arcadicis scribit: Philippi Macedonis li-  
beros propterea tantis cladibus affectos fuisse, quod ipse fidem  
in pactis conventis datam nihili faceret. Sic & perfidiæ suæ pœ-  
nam se dare Gallus agnoscens, filiorumque desiderio æstuans  
ad pacem animum applicat, qui Cameraci anno 1529. d. 5. Au-  
gust facta. Vid. Sleidanus, Thuanus, Gvicciardinus, Paulus  
Jovius. &c.

§. 16.

Jam quæ ex politico judicio super hæcenus adductis  
statuenda videntur, subjiciemus. Quod de Parthis dicitur:  
Ipsis nullam esse fidem, nisi quantum expedit, utilitatem enim  
fide iisdem sanctiorem esse; (a) id de Gallis non ita male fors  
pronunciaveris. Nescio enim, an vulgare istud Nationis hu-  
jus præconium, *Gallos esse leves*, conferat quidpiam ad malam  
consuetudinem, quæ gens ea perfidiæ facillimam veniam im-  
pertiri fertur. Certe, qui regnum Gallicum perlustrando geniū  
incolarum cognoverunt, uno ferme ore fatentur, parum ibi  
à plurimis curari solere, fides data, juramentum præstitum,  
promissio facta fuerit nec ne; atque si citra fidem servandam  
utilitas quædam speretur, illam post hanc ducere in morem abi-  
isse. Ut verendum adeo sit, ne maxima Gallorum pars effos-  
sis oculis cœci instar talparum repant, ubi Legi Salicæ obtem-  
perandum foret. (b) Et quid mirum? Qualis Rex, talis grex.  
Ipsam caput Nationis jamdudum fidem negligere, promissa,  
quin juramenta aspernari sœvit. Unde, cum Bodinus (c)  
in thesi scribit, fidei religionem plerosque principes nullam  
esse putare oportere, si publica utilitas agatur; congrua sane



maxime hypothesis ipsi erat, quando ad suos ista Reges accommodasset. Historia, quam hactenus de Francisco I. tradidimus, non parum hæc confirmat, ubi pudendum atque Regem indignum perfidiæ exemplum advertitur, quod nunc ulterius trutinandum est.

(a) Zinger. Theat. Vit. Hum. Vol. 19. l. 1. p. m. 3482. ex Alex. ab Alex.

(b) VVolf. Lect. Memorab. T. 2. Cent. 16. p. m. 245. refert: legem Salicam velle, ut perfidis oculi effodiantur.

(c) de Rep. l. 5. c. 6. p. m. 928.

§. 17.

Rex Franciscus in prælio Ticinensi à Carolo V. Imp. captus non prius libertati suæ restituebatur, quam de certis pactis ob redimendam captivitatem cum victore suo initis fidem juratam dederat. Hæc supra latius didi. & a. Ist hæc tamen fides, quæ sancta esse debebat, nequicquam postea observabatur. Non una se ratione Rex excusatum ibat; uti enim pacta, de quibus disquirimus, duobus membris constabant, quorum *prius* Carolo Imperatori post alia, certas ditiones à Rege ipsi cedendas, *posterius* vero ipsum Franciscum, ubi promissa explere non daretur, in carcere iterum spondebat, ita ad utrumque enervandum mox media excogitata.

§. 18.

Ex carcere dimisso, Bajonæque à suis excepto Francisco, manifestum mox fuit, pacta inita adimplere velit, nec ne. Responsum enim, quod Pontifex & Veneti de voluntate ipsius percontantes tulerunt, sic fere habet: Compositionem Madritianam irritam esse, indeque suam fidem, quæ ad eam confirmandam necessitet, dissolvi. Se sæpissime Cæsarem monuisse, si necessitate impulsus legibus iniquis, quibusque stare non valeret, subscribendum foret, istas haudquaquam servatum ipsi iri. Absque consensu Procerum nil ab alienari à Regno Galliæ posse. Quæ vi captivis extorquentur, promissa, vana putanda. Carolum fidem datam frustra. (a)

(a) Gvicciard. L. 17. p. 622.

§. 19, Sci-



Scilicet tradit Franciscus partim argumenta generalia, quibus in universum pacta Madritiana stringit, partim speciale unum, quo caput de cedendis certis Galliarum bonis evincere fatagit. De singulis ordine.

Quando in genere statuit, conventa ista quanta quanta nulla esse, seque nec ad cedenda, quæ cedere promiserat, nec ad redeundum in carcerem teneri, prima ipsi ratio est: quod *vis & metus ad paciscendum ipsum compulerit*; Talia autem pacta irrita censerentur. Ast & thesis heic vacillat & hypothesis. Novi quidem, multos Politicos invalida credere pacta vi & metu extorta. Enim vero intelligunt id saltem (1) de metu injusto, qui in altero ponit vitium, quod ineptum ipsum reddit ad jus hoc exigendum; seu de eo metu, qui proficiscitur à persona potestatem terrorem istum intentandi non habente. Sic metus à latrone incussus nullam obligationem parere putatur. E contrario nemo non videt, ridiculum fore rusticum, qui servitia Nobili suo debita cras sese præstiturum promisit, carceri alias tradendus, & postmodum emanere vellet, ad metum datum provocando. Fuit enim iste metus justus. (2) Requiritur, ut negotium sit inter personas privatas, vel quæ judicem causæ agnoscunt. Conceditur enim exceptio metus injusti cuique, qui ad iudicium aliquod vocari potest, quod de causa sua cognoscat, atque ipsum, ubi iuste coactus fuerit, ad promissa implenda adigat, ubi iniuste, absolvat; Ut ita fraudibus omnibus ac periculis obviam eatur, alias inde resultantibus, ubi ad metum talem injustum provocari prohiberetur, alterque alterum vi iniusta impune in suam voluntatem rapere posset. Denegatur vero exceptio metus injusti his qui à nemine jus sibi dici patiuntur; ut iterum incommoda evitentur, contrario dato inde subsecutura. Siquidem alias bella ita atrocia forent, ut hostis hostem mallet mortuum, quam captivum, aut si capi ipsum contingeret, nunquam data fide aut quavis obligatione



eum demitteret, sed perpetuis carceribus affligeret, donec ex voto victoris omnia, de quibus conventum, plene præstita. Quod utrumque satis durum. Porro bellis, quæ sæpissime pactis certis vi ac metu ab altera parte obtentis componuntur, nunquam constans finis imponi posset, quin verendum sit, ne deterior pars obtutu, metu injusto quodam adactam se transigisse, mox pace rupta restauret bellum, in infinitum ita producendum, nemine de justitia vel injustitia metus pronuncian- te. Quin imo, ubi etiam manifestissima res fuerit, metum fuisse tibi incussum injustissimum, non absque ratione suaden- dum videtur, ut, quæ metus iste expressit, promissa serves, id- que vel ideo, quod alias impofterum grave Tibi foret, ubi alius quispiam, quem Tu victor per metum non ita injustum in or- dinem redeigisti, pari ratione Tuo exemplo exceptionem metus injusti opponat, cum nullus sit, qui ipsum justitiam metus à Te intentati cum effectu docere queat: Quod alioquin facere re- ligioni forte duxisset, ni Tu ipsi, (licet meliori jure) prævisses. Quare Grotius (a) talem *metum jure Gentium pro justo haberi au- tumat, æque ac multa alia quantumvis vitio non carentia pro ju- stis habentur.* Cum enim viderent, injusta bella satis esse fre- quentia, nec non pacem injusto metu non raro alteri extorque- ri: Ut constans hæc saltem esset, consensus Gentium secutus vi- detur, quo metus etiam injustus, abs victore illatus justus ha- beatur, i. e. insufficiens ad fidem datam elidendam. Hinc ri- dentur Pontificii, qui Pacem Passaviensem ex eo etiam destru- endam putant, quoniam Imperatori metus eam suaserit.

(a) 3. c. 19. §. II.

§. 21.

Jam si ad hypothesin descendamus, an Franciscus Gallus metum ac vim pro se allegare potuerit? Ex jam dictis satis ap- paret, quantum roboris argumentum istud habeat. Exce- ptionem metus injusti inter eos, qui sibi ipsis lex sunt, non procedere, in expedito est, quomodo igitur Franciscus sibi eam vindicare potuit? Sed nec evictum, metum illum inju- stum fuisse. Si nostri id laboris esset, forte justitia belli ex parte



parte Cæsaris doceri posset, quodque bello justo captus, citra injuriam metu tali coactus fuerit. Quin an demum metus iste, quem Gallus passus est, tantus videbatur, visque adeo vehemens, ut tolerari amplius nequiret, & ad extrema esset, recurrendum? Non mors intentata, nec quicquam aliud, quod ignominiosum ita captivo Regi infelici ducendum. Comitabatur, quidem ut fieri merito solet, viris certis ad custodiam ipsius constitutis, nihilominus castro & oppido, in quo habebatur, pro lubitu exire, inque agris, viridariis ac monasteriis obequitare & ambulare dabatur. Quæ omnia metum extremum causari vix debebant penes eum, qui in sævitiam Martis consenserat. Quod autem de carcere perpetuo sibi indicto tradit, id à veritate alienum putatur; Quanquam nec Victor opus haberet, ut victum atque captivum prius libertate donaret, quam de lytro justo conventum esset. Igitur metus iste ac vis minime excusat Gallum, quod fidem datam non liberaverit. Causa quæ impedire non poterat, quin pacisceretur, impedire non debebat, quin pacta præstaret.

§. 22.

Aliam exceptionem circa renuendam pactorum impletionem Rex petebat ex eo, quod jamdudum Imperatorem monuerit, se, ubi ad iniquas condiciones cogeretur, detrectaturum in universum promissa omnia. Verum talem præmonitionem vel protestationem negant ac pernegant Cæsarei unquam factam fuisse: Quod si autem Gallus præoccupaverat, hoc modo, & nihilominus Imperator in fide ejusdem tantum posuit, ultro utique hic in classes prævisos ruit, & tum demum quadrat, quod Gramondus dicit: Simpliciter Carolum arguendum esse, quod ante executionem pacis Franciscum dimiserit. Interim fidei tamen à Gallo datæ minime protestatio derogabat, quippe tum modo valebat, si ad condiciones injustas Rex adactus fuisset, ad has enim præmonitio ista, si quæ fuit, restringebatur. Ulterius faciamus, iniqua captivo propinata;

Uti



Uti tamen iuste ipse constituere haud potuit, se in indignas istas conditiones pertractum tergiversaturum, h. e. se in injusta, quidem consensurum, consensui autem non satisfacturum. Uti inquam decernere sic non poterat, nam aut dicendum videbatur: se ista, etiam iniqua velle acceptare ac etiam implere, aut se eadem respuere, & quod reliquum erat, in carcere adhuc morari: Ita magis certe injustum credo, quod abominandum istud propositum (*ridendo decipiendi*) nunc actu exequi moliatur. Bene ille miles, cum à Sigismundo Imper. promissa peteret, hic autem diceret: *ast immoderata Tua fuit petitio?* respondit: *poteras negare cum peterem, nunc sine turpitudine quod promissum est, rescindere non poteris.* (a)

(a) Arumzus ad A. B. p. 34.

§. 23.

Legitur etiam Franciscus ex captivitate in Regnum reversus, non procul à Metropoli sua exstruxisse arcem Madrid dictam, similem Madrito, in quo captivus ipse detentus fuerat: dixisseque: quæ Madriti (in Gallia prope Lutetiam) Carolo V. promississet, strenue se observaturum, prætereaque nihil. (a) Hoc si verum, fuerit fortassis aliquod ex inventis prudentum, ceu Jesuitæ reservationes mentales vocant; Ast non opus, ut multa heic disputemus, satis notum, à perjurii crimine talem reservatorem liberum non esse, dum in eum serfsum jurare putatur, quem ex verbis prolatis per bonam consequentiam colligere possumus, alias omnis sermonis usus deperderetur. Imitatus Franciscus fere Solimannum, Imper. CPTanum *σύνχρονον*, qui promisit, se Hebraymum, ultimum supplicium metuentem dum viveret non interfectorum: Dormientem tamen ipsum postmodum confodit, obtendens: Dormientem se pro vivo non habuisse. (b)

(a) Camerar. hor. subcis. C. 2. p. 151.

(b) id. l. c. p. 808.

§. 24.

Sic & leve est, quod ideo se Gallus à fide servanda immunem vult, quia ipsi antea Carolus præstanda non præstitisset.



tisset. Sibi scilicet adhuc fuisse circumpositos custodes, postquam de redemptione sua jamjam conventum erat, imo ad Fontem rapidum usque ubi demum liber dimissus, ingentem se manum insecutam. Enim verò nil omisit Cæsar quod præstare debuit. Fides Gallo data de iis, quæ fœdus initum continebat, heic autem & custodiæ & libertatis tempus habebatur: Nempe Regem libertati suæ relictum iri, quam primum post alias conditiones adduxisset filios duos obsides: Jam utut in hæc Rex promiserat, adeoque de redemptione futura res clara videbatur, vi fœderis tamen libertatem sibi vindicare non poterat, nisi præstita conditione, quæ præsumebatur, puta præsentibus obsidibus.

§. 25.

Hactenus de iis argumentis, quibus fœdus Madritianum in universum perfodere Franciscus studuit, ostendendo, nullum sibi injectum vinculum, quo teneri queat. Nunc ad argumentum speciale, quo quasi in superfluum spem de cedendis certis Galliæ bonis Carolo subvertit. Superstruit istud axioma: *absque consensu Parlamenti in Gallia nil posse alienari.* Unde infert: ergo promittere tale quid non potui.

§. 26.

Ast vero probe jam dum noverat Gallus, quantum hactenus potestas Regum gliscere in Gallia cœperit, postquam magis absolutum imperium ducere instituerant, ut citra consensum Parlamenti de negotiis publicis ex proprio judicio disponere fere liceret. Hactenus quidem in cerras leges à Regibus juratum fuerat, inter quas & hæc: quod circa certa negotia, quale v. g. alienatio, nolint ex proprio arbitrio statuere, sed eadem ad Parlamentum referre: Nam in patrimonio Regnum non habebatur Regibus, quippe à voluntate populi collatum; Indeque absoluto ipsorum Imperio omnes actus non relinquendi, sed adstringendi videbantur Reges, ut super quibusdam senatum ad id constitutum con-

C

ful.



fulerent : an tamen per. modum declaratae voluntatis , an  
ademptae facultatis id promiserint, ita ut adderetur. si secus Re-  
ges fecerint, irritas actiones eorundem fore , mihi expeditum  
non est. Id autem Limnæus (a) me docet : quod superiori  
jamjam seculo ante Franciscum auctoritas Parlamenti cadere  
cœperit, ut non dubitarent Reges in scio Parlamento talia tra-  
ctare, quæ istud cognitioni suæ alias reservare fategerat ; Ubi  
autem ad Parlamentum quid delatū, Consiliariorum instar dun-  
taxat habebantur Assessores , quique decreta Regis trutinarent,  
ac monerent, quo modo nunc officium suum explere vel  
ab eodem recedere queat ; Cœterum hic sibi convenire cre-  
debat, decernere, uti sibi quidem videretur. Sic non magi-  
stratum repræsentabat Senatus iste, qui jus quasi Regi diceret,  
sed super actionibus saltem ejus certis consilia sua & opinionem  
communicare debebat. Pari ferme ratione , uti Principes  
quidam alias in proprio se foro conveniri patiuntur, non quasi  
forum illud se statuant superius, & à quo in ordinem possint  
redigi : sed actoris duntaxat fundamenta intimius sic perspicere  
volunt, quæ prout apparuerint, quid sibi conveniat , judicant.  
Coquille (b) ait : *“ Le Roy Francois I. disoit , que le Roy Louys  
“ XI. avoit mis les Roys de France hors de page pource qu’il  
“ avoit abaisse l’ auctorite des princes, & aboli le pouvoir des Estats  
“ es quels les nouveaux subsides devoient estre accordes, & n’ avoit  
“ le Roy droit de les imposer autrement. (Rex Franciscus I. dicere  
“ solebat : Ludovicum XI. ex ephebis eduxisse Reges Francia, quod  
“ auctoritatem Principum depressisset, & ordinum Regni potestatem  
“ sustulisset, in quorum conventu nova subsidia semper promitteban-  
“ tur ; nec enim aliter Rex illa exigere poterat. ”* Atque Pelca-  
rius : (c) Franciscus I. se Gallos Reges ex ephebis eduxisse sepe ja-  
stavit, Gallie enim Reges antea majora negotia non nisi de princi-  
pum consanguineorum & 12. patriciorum consilio expedire solebant.  
Hic Franciscus autem aliam viam secutus est, quam ejus posteri etiam  
ingredi maluerunt. Unde Bodinus (d) refert : prohibuisse  
Franciscum I. quominus curia Parisiana edicta à Rege pu-  
blicanda missa in dubium vocaret. Et in commonitione  
quam



quam hoc Seculo anno 15. Parlamentum ad Regem transmi-  
 fit, dicitur Franciscus I. suo tempore Parlamentum ad com-  
 probanda, quæ ipse cum Papa inierat, cœgisse. (e) Nec Pape-  
 nius reticere potest (f) *tantum de domanio Franciscum I. vendidis-*  
*se, ut nullum domanium fuerit amplius, quod non venditum.* Me-  
 moranda item historia, quam Bodinus (g) habet: *Ludovicus*  
*XI. edicta quedam iniqua publicari in curia Parisiorum iusserat,*  
*curia recusavit, propterea quod iniqua viderentur, Rex sua iussa*  
*ingeminans minas adiecit, capitis etiam indicta pœnâ, ni curia*  
*paruisset.* Lanacrius *Preses re intellecta Regem adiit corona judi-*  
*cum purpuratorum stipatus, non ut culpam deprecaretur, sed ut mor-*  
*tem precaretur, cum diceret: se suosq; collegas mortem malle, quam*  
*legi proposita subscribere.* Nescio an fortè in mentem Regibus  
 successu temporum venerit: Se quidem à consensu populi  
 Regnum habere, interim hunc ultroneum penitus non fuisse,  
 sed necessitatem velut quandam accessisse, ut Capetum, à quo  
 ipsi per successionem Regnum tenent, Regem constituerent,  
 indeque arcte ita adstringendos se non censendos ad Senatum  
 ejusmodi, qualis quidem Parisiensis &c. Cicero: (h) *atque*  
*etiam subjiciunt se homines imperio alterius ac potestati pluribus de*  
*causis: Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitu-*  
*dine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi utile futurum, aut metu ne*  
*parere cogantur, aut spe largitionis promissionibusq; capti, aut po-*  
*stremo mercede conducti.*

(a) not. Regn. Franc. l. 1. c. 9.

(b) en l'histoire du pays, & Duché de Nivernois p. 124. cit. Limn. l. c.

(c) rer. Gall. comment. l. 16. p. 476. Limn. l. c.

(d) de Rep. l. 5. c. 6.

(e) Limn. l. c. l. 7. c. 3.

(f) Limn. l. 2. c. 8.

(g) l. 3. c. 4. p. 454.

(h) l. 2. offic.

§. 27.

Cum igitur perinde pene esset, eò tempore, consensus  
 Parlamenti super dictis negotiis adhibitus fuerit, nec ne;  
 Non video, ut Franciscus, quem satis libere quoque egisse



ostendimus, in authoritate Parlamenti ac consensu ejusdem tantum collocare videri potuerit. Sed fingamus, adorarium adhuc sive sanctitatem istius Senatus, cujus præter ad sensum Rex decernere non poterat; necessitati tamen quid relinquendum putarim. Parlamenti quidem (credamus) vis ingens, honor inviolandus, voluntas reverenda. Domanium coronæ inalienabile ac indivisibile tunicæ inconfutili comparetur; (a) casus tamen quidam excipiendi videntur, qui divisionem quandam Regi permittant, ex sua voluntate & iudicio proprio instituendam.

(a) Brissonius ap. Chenu quæst. notab. 2. n. 34. dicit: le domaine de la couronne est inalienable, & comparé à la tunique sans couture, qui ne fut divisé. Limn. l. c. l. 2. c. 8.

§. 28.

Tholosanus (a) tres causas legitimas recenset, ob quas alienatio domanii Gallici statuenda (1) si dandum apanagium, (2) ubi belli periculosi metus ingruit, (3) quando princeps captivus redimendus. Alii plures addunt. Nos uno verbo dicamus, alienare quædam Regem Gallix valere etiam præter consensum ac voluntatem Parlamenti, quotiescunque necessitas inevitabilis id svaserit. Teneatur regnum jure saltem usufructuario, (si tamen vox hæc commode heic usurpatur,) sit populi consensu Regibus delatum, nec ordinarie quicquam propria authoritate transferre iidem valeant; Summa certè necessitas eximenda putatur, quæ facultatem dat, salutem, publ. quovis modo expediendi. Perinde ac Pater & vendere & oppignorare filium posse à multis putatur, ubi alia ratio illum alendi non suppetit. Data est Regibus facultas Regnum administrandi & conservandi, media igitur etiam concedenda, quibus neglectis finis iste evertitur. Ubi igitur pax, in qua salus Reip. consistit, alia ratione non obtinetur, quam alienatis quibusdam Regni bonis, sola sua authoritate alienationem talem rectè Rex hostibus promittere creditur. Quod Parlamentum circa ejusmodi actus Regis consuli voluerit,



luerit, causa utique: ne forte ultra modum & rationem bona Coronæ profunderentur: Jam cum tale quid in præsentia casu à Francisco non fiat, nil contra voluntatem Parlamenti factum apparet, si ob gravissimam rationem pars avellitur, ut reliquum corpus vigeat.

(a) de Rep. l. 3. c. 8. n. 8.

§. 29.

Quamquam & voluntatem Parlamenti Franciscus si voluisset fortè impetraisset: Quod si enim fides data huic cordierat, non improbable videtur, istud condescensurum fuisse in preces ac persuasiones, si quas adhibuisset, demonstrando: Si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Ob insignem Regis authoritatem ratihabenda pacta sua, & ne fides publica prostituatur. Fecisse id semet ex intentione bonum publicum promovendi, & quietem regno restituendi, &c. Tandem & credibile cuipiam fuerit, Parlamentum non caruisse notitia eorum, quæ inter Regem suum & Carolum tractabantur, & sic ex silentio istius conjecturam consensus taciti posse enasci: Soror Francisci Regis Madriti per tempus commorata fuerat, maximo zelo pacis negotium promovere conata: Et hac in Galliam revertente, Princeps Parisiensis Senatus, & alii proceres remansere, ut de causa Regis cum Cæsare Victore agerent. Matris item Francisci, quæ loco ejus Regnum tum administrabat, consensus ad Carolum tempore pacis conficiendæ relatus legitur.

§. 30.

Frustra igitur Franciscus ad defectum consensus Parlamenti provocavit, ut quæ Carolo Imperator tradenda promiserat, retineret; Non secus ac absque fundamento pacta in universum infringere laborabat, quod supra explosum. Certè & debebat & poterat fidei datæ satisfacere, sed noluit. Romani Patres, ut populum in urbem revocarent, in quascunque condiciones consenserunt, de quibus tamen pa-

“*ais Lucius in Senatu bene dislerit: aut ratione providen-*

C 3

tes



tes id, quod optimum erat, aut necessitati cedentes qui-  
bus voluimus conditionibus, reditum nobis concessistis;  
Si hæc maxime è Rep. esse credebatis, quin in eadem sen-  
tentia nunc quoque manetis? Sin necessaria & quæ aliter  
feri non possent, cur ea iniquo fertis animo? Principio  
enim fortasse (Si poteratis) non oportuerat hæc vos nobis  
concedere. At cum concesseritis, ea vobis minime sunt  
reprehendenda ac vituperenda, sed æqui bonique consu-  
lenda. (a) Non malè isthæc ad nostrum hæctenus tractatum  
casum accommodaveris.

(a) Arnif. de jur. Majest. l. 3. c. 1. p. 490.

---

## COROLLARIA.

- I. *Logica in inventione & dispositione oratorem egregie juvat.*
- II. *Geometria rectius metrica dicitur.*
- III. *Ventum tempore incendii sæpe oriri, ex physicis bene probatur.*
- IV. *Exploratum est medium aurigis usitatum, quando ad ignes fatuos abigendos vestes vertunt, flagella agitant, vel etiam execrationes diras fundunt.*
- V. *Quod Zephyrum frequentiore habeamus quam Eurum, mirum non est.*
- VI. *Item quod Zephyrus sæpius pluvias, Eurus serenitatem nuntiet.*
- VII. *De loco in medio mundi sito queritur. Quid si Ileburgum meditullium hujus universi constituat?*
- VIII. *Calor vehementior sole descendente versus  $\delta$ , quam in summo Ecclipticæ culmine, nempe  $i$ , 69, constituto. Ratio est facilis.*

IX. San-



IX. Sanguis ex cadavere occisi profluens occisorem non arguit.

X. Vicariatus Sabaudi per Italiam probat etiam potestatem Imperatoris in Italia.

XI. Quod Palatinus Elector coronam, quam in processionibus solennibus portat, in insignia non inferat, causa: quod incasum extincta linea Wilhelmina seu Bavaria cum pristino suo Electoratu pommum Imperiale iterum sperat.

XII. Electorum origo ad Ottonis III, & Gregorii V. tempora perperam refertur.

XIII. Electio Electoribus Ecclesiasticis superioritatem territorialem proprie non confert.

S. D. G.





OK Th 5285

XI. ...  
XII. ...  
XIII. ...

S. D. G.



nc

1077





Q.K. 374, 13.

FR  
GA  
CU  
RE  
V

Incl

M. J

1903773

449

II n  
5285

CO I.  
CTA  
IMP. OB  
CAPTI-  
A AD-  
E,

consensu


nendo

S Schelle/  
.Cult.

ERI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)

H. Hofman Q24.



Kodak  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

